

534









DA BOX.

No 534.



M. Tuscher fecit



ASS

TIONES

RATIONE

MANI POST LAP

rentum, & c

propos

ta

NICOLA



H

APVD

R

ASSERTIONES DE REPARATIONE GENERIS HVMANI POST LAPSVM PRIMORVM PArentum, & de regno Christi, propositæ in disputationem

à

NICOLAO HEMMINGIO



HAFNIÆ
APVD CHRISTOPHORVM BARTH.
1561.

Post lapsum p
us decretum
generis humani,
modo homines
regno Sathanæ u
su censeantur.
Nam cum A
ritate erigere se
manu illum erex
micis contritur
demoliturí ope
in pristinum sta
Christum perpe
Cum hoc re
perutile sit, ill
tributum expli
uem regni Chr
emus. Nam hu
parationis de
Partes aute
sunt spectand
diuinæ in re
modo repar
qui reparan

POst lapſum primorum parentũ Deus decretum edidit de reparatione generis humani, uiamq; monſtrauit, quomodo homines lapſi erigi poſsint, vt è regno Sathanæ uindicati ciues regis Chriſti cenſeantur. 1

Nam cum Adã lapſus cum ſua poſteritate erigere ſe nequiret, Deus porrecta manu illum erexit, facta promiſsione ſeminis contrituri caput ſerpentis, hoc eſt, demolituri opera Sathanæ: vt ita homo in priſtinum ſtatum reſtitutus, Deum per Chriſtum perpetuò celebret. 2

Cum hoc reparationis myſteriũ ſcire perutile ſit, illud in quatuor partes diſtributum explicare conabimur, cui breuem regni Chriſti deſcriptionem ſubijciemus. Nam huic erigendo myſterium reparationis deſtinatum eſt. 3

Partes autem myſterij reparationis hæ ſunt ſpectandæ. 1. De gradibus actionis diuinæ in reparationis myſterio. 2. De modo reparationis. 3. De officio hominis qui reparandus eſt eiuſq; officij partibus. 4

4. De salutis nostræ, hoc est, reparationis certitudine.

5 Quinam gradus sint actionis Dei in hominis reparatione Paulus ostendit his verbis: Quos præsciuit, eos & prædestinauit conformes imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitꝰ inter multos fratres: quos autē prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit.

6 Hic Paulus quinque actionum gradus in Deo enumerat. Primum enim pręsciuit Deus, quos uult in gratiam propter Christum recipere, uult autem omnes eos recipere, qui fide ad Christum confugerint, quantumuis impij antea fuerunt & infinitis peccatis contaminati. Vt enim lapsus fuit uniuersalis: ita etiam promissio gratiæ absque discrimine statuum, personarum, & nationum omnibus facta est.

7 Deinde prædestinauit & ordinauit quos præsciuit ad uitam æternam consequendam, absque omni ipsorum merito, sola gratia per Christum reparatorem.

Tertio

Tertio præſcientiam & electionem 8
per uocationem patefacit. Nã cum Chri-
ſtus mandat diſcipulis his uerbis: Ite in
mundũ uniuerſum, proclamate euange-
lium omni creaturæ, qui crediderit & bap
tizatus fuerit, ſaluus erit, qui uerò nõ cre-
diderit, condemnabitur, ſatis declarat cõ-
ſilium ſuum eſſe, ut omnes obtemperan-
tes uoci Euangelij ſint ſalutis per Chri-
ſtum partæ hæredes.

Quarto loco uocatos iuſtificat, hoc eſt, 9
eos, qui ad Euangelij uocem agunt pœni-
tentiam & promiſsioni gratuitæ credunt,
abſoluit à peccato, Chriſti iuſticiam im-
putat, & acceptat gratis propter Chriſtũ
ad uitam æternam. Neq; enim hæc iuſtifi-
catio, eſt aut actio hominis, aut paſsio, aut
ulla affectio, ſed eius, quæ eſt Chriſti pro-
pria, iuſtitiæ imputatio.

Quinto loco glorificat iuſtificatos, 10
hoc eſt, donat beata immortalitate. Hæc
glorificatio eſt plena hominis reparatio,
ſcopus ultimus miniſterij Euangelici.

Modus reparationis ad Gal: 4 his 11

verbis deſcribitur: Vbi uenit plenitudo temporis emiſit Deus filium ſuum, natũ ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus: quia autem eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater.

12 Initiũ ſalutis facit Apoſtolus charitatem illam patris cœleſtis immenſam, qua filium ſuum dedit. Hoc ipſum & Dominus, cum ait, teſtatur: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret &c. Deinde redemptionem noſtri factam per oblationem Chriſti aſſerit. Cum hac coniuncta eſt adoptio, Spiritus ſancti donatio ac inuocatio.

13 Officium noſtrum eiuſque partes tametſi ex dictis intelligi poſsunt: tamen vt diſtinctius teneantur, Math: 13 pulchrè depingi uidentur, quemadmodum ex
1 antitheſi colligitur. Prima ergò officij noſtri pars eſt, oculis videre, hoc eſt, ſentire noſtram miſeriam, & damnationem
2 intelligere. Secunda, verbum reconcili-

ationis

ationis audire & cognoſcere, in quo remedium proponitur. Tertia, verbum illud ipſū amplecti eiq́; aſſenſum præbere. Poſtrema, conuerti ad Dominum uera pœnitentia, ac ita per totam vitam fructus dignos pœnitentia facere.

In certitudine de reparationis effectu tria ſunt ſpectanda: Ius Chriſtianorum de ſalute conſequenda: ſecuritas Chriſtianæ mentis de iure ſalutis: diſcrimen inter eos qui hoc ius habent & alios. 14

Ius adeundi hæreditatem vitæ immortalis triplex habent fideles, electionis, redemptionis & promiſsionis. Electio fundata eſt in filio Dei domino noſtro Ieſu Chriſto: quare hoc ius infallibile eſt. Redemptio eſt ſatisfactio pro peccato, quæ facta eſt per ſanguinem Chriſti, qui eſt ſufficiens λυτρον pro peccatis omnium hominum. Promiſsionis verbum ſæpiſsimè ſcriptura repetit: Qui credit in filium, habebit vitam æternam. 15

Hoc

Hoc triplici iure fideles ſuas mentes con-
firmabunt, aduerſus omnes tentationes,
vndecunque veniant.

16 Securitas Chriſtianarum mentium re-
ſidet in charitate adoptionis: Sic Deus
dilexit mundum, vt filium ſuum vnigeni-
tum daret, vt omnis qui credit in illum,
non pereat, ſed habeat vitam æternam. In
veritate promiſsionis: qui enim promiſit
Deus immutabilis eſt: cœlum & terra ci-
titus tranſibunt, quàm vnum iota de ip-
ſius promiſsione. In facultate promiſsi
præſtandi: ad hanc reſpexit Abraham,
cum tota rerum natura videretur reclama
re promiſsioni diuinæ.

17 Diſcrimē inter eos, qui ius habent cœle-
ſtis ciuitatis, & alios duplex eſt: internū &
externū. Internū eſt, quòd qui ius ciuita-
tis cœleſtis obtinet, habeat arrhabonē ſpi-
ritus, hoc eſt, fidem, motus excitatos à
Spiritu ſancto, bonam conſcientiam, ſiue,
vt breuius dicam: qui retinet fidem & bo-
nam conſcientiam habet notas quæ teſtā-
tur de iure ciuitatis cœleſtis: contrà, qui
hæc

hæc non habet, adhuc extra familiã Dei est. Externum interni effectus est. Qualis enim animus est, talis relucet in externa vita & moribus. Nam iuxta Christi dictum: ex fructibus arbor cognoscitur.

Quicunq; ergò iuxta carnem viuunt, 18
& desideria carnis faciunt, vt nec spiritũ Christi habent, nec fidem: ita adhuc sunt in suis peccatis, & reparatio in ipsis nequaquam est inchoata.

Hîc non attenditur ratio diuitis & 19
pauperis, nobilis & ignobilis, clari & obscuri, sacerdotis & laici, domini & serui, masculi & fœminæ: Sed vt ões qui Christo fide & spiritu adhærent vnum in ipso sunt: ita qui fide & Christi spiritu vacui inueniuntur, serui sunt Sathanæ, quantumuis externa religionis larua se inter filios Dei venditent. Honestus ille aulicus Ioh: 4 inter ciues regni Christi fuit: cum interim superbus Pharisæus, Sathanæ erat mancipium.

Regnum Christi triplex est, potentiæ, 20
gratiæ, gloriæ. Potentia vicit diabolũ &

pecca-

peccatum, vt eſſet locus gratiæ: per gratiam in fidelibus dominatur, vt uiam ad gloriam præparet.

21 Regnum potentiæ, eſt quo potenter dominatur omnibus creaturis in cœlo, in terra & apud inferos. Hoc illi commune eſt cum Patre & Spiritu ſancto. Vt enim hæ tres perſonæ vnus Deus eſt: ita vnum potentiæ regnum, cui nemo reſiſtere poteſt.

22 Regnum gratiæ, eſt quo per ſpiritum & verbum regnat in piorum animis. Huius regni fructus, eſt iuſticia, pax, gaudium in Spiritu ſancto. Neq; venit hoc Regnum cum ulla externa obſeruatione, hoc eſt, cũ externo quopiam maieſtatis ſplendore.

23 Etſi autem hoc gratiæ Regnum externam & mundanam pompam non agnoſcit: tamen habet ſuam quandam peculiarem rationẽ in erectione, propagatione, conſeruatione, ordine, dominio, ſeruitute.

24 Erigitur ab ipſo ſummo architecto

Deo

Deo, vt Psal: 2. docet: unde mens pia fiduciam concipiet nunquam fore, vt hoc Regnum vllis Sathanæ machinis aboleatur. Concutitur quidem, ſed inuictum tamen manet. Hoc Regnũ Chriſtus erigit ſceptro verbi ſui, quod vbicunque purè ſonat, ibi hoc gratiæ Regnum eſt.

Propagatur præterea per uerbum, per 25
pios Euangelij miniſtros, per ſanctos Reges & Principes, cuiuſmodi fuerunt Dauid, Ezechias, Ioſias, Ioannes Fridericus, Chriſtianus Tertius, & alij multi: quales Deus ſubinde excitare ſolet, vt ſint propagatores ſui regni, ac nutritores eccleſiæ Chriſti. Atque hi in beata vita vt ſplendor firmamenti æternum ſplendebunt.

Huic regno propagando ſtudent 26
quoq́; pij patreſfamilias, Conſiliarij regnorum Deum timentes, imò quilibet in ſuo ſtatu & ordine, quando vita, opibus, conſilio Chriſti gloriam quærit.

Con-

27 Conſeruatur hoc regnum ab eodem qui illud erigit, hoc eſt, Deo: vnde fiducia concipienda eſt, de eius firmitudine & ſtabilitate contra portas inferorum.

28 Ordo in hoc regno non eſt politicus & tyrannicus. Nō unus aliquis præeſt, ut in monarchijs mundi, ſed ſunt in eo docentes & diſcentes ſine dominio unius in alterum. Omnes pij in hac uita poteſtati politicæ eminentiori ſubiectos ſe eſſe ſciunt, cui & honorem debitum præſtant, modo nihil imperatur, quod cum ſcelere perficitur, tum enim ſequenda eſt regula: oportet Deo magis obedire q̃ homini.

29 Dominium in hoc gratiæ regno unius Chriſti eſt, idq; ἀνυπεύθυνον: hic enim ſolus in ſuo regno dominatur, nec obnoxius eſt ad reddendam alicui ſuperiori rationem ſuæ adminiſtrationis.

30 Sceleratus Papa, qui ab impijſſimo Phoca difficulter admodum dominium in Eccleſiā impetrauit, iſto facto ſatis oſtendit, ſe non Chriſti ſeruum eſſe, ſed aduerſarium, hoc eſt, Antichriſtum, nec eſt

alius

alius Antichriſtus expectandus, quàm iſte filius perditionis Papa: quem filius Dei iam cœpit conficere gladio oris ſui, & tandem tollet omninò è medio, per ſuum omnibus pijs expectatum aduentum, iuxta doctrinam Pauli. 31

Reſtat ſeruitus præſtanda Regi Chriſto in ſuo regno, quam definit ſanctus ille Rex Dauid, cum inquit: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Zacharias in ſuo carmine collocat hanc ſeruitutem in iuſticia & ſanctitate, quibus nos decet ſeruire Regi Chriſto omnibus diebus uitæ noſtræ. 32

Regnum Chriſti glorioſum, ad quod uia eſt regnum gratiæ, ſpectatur dupliciter. Primum enim conſideratur in ipſo Chriſto Rege, qui poſtquam ſurrexit à mortuis, glorioſè ſuum regnum occupauit, captiuam ducens captiuitatem aſcendendo in cœlum, ubi ſedet ad dexteram Dei patris, vnde & redibit iudicatum uiuos & mortuos.

Deinde

33 Deinde ſpectatur Chriſti glorioſum
regnum in Chriſti myſtico corpore, quod
eſt Eccleſia. Qua ratione tum demũ perficietur hoc Chriſti Regnum glorioſum, ubi reſuſcitatos mortuos adduxerit ad æternum patrem. Tum enim ut pij perpetuo conſpectu Dei & ſanctorum Angelorum fruentur: ita impij, qui gratiæ Chriſti regno aduerſabantur in hac uita, perpetuis flammis cruciabuntur.

34 Hinc ergò admoneantur omnes: impij quidem, vt cum adhuc in uia ſunt, reſipiſcant maturè, ne ſubitus eis superueniat interitus: pij uerò, ut conſtanter uſque ad finem perſeuerent, expectantes beatam illam ſpem, & illuſtrem illum aduentum gloriæ magni Dei ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Huic ſit Regnum, gloria, benedictio, robur, in ſecula ſeculorum, Amen.

riosum
e, quod
nū per-
riosum,
erit ad
pij per-
n An-
gratiæ
c uita,

nnes:
a sunt,
super-
tanter
stantes
im ad-
natoris
n, glo-
seculo-